

www.e-rara.ch

Guidonis Ferrarii Opusculorum collectio

Ferrari, Guido

Lugani, 1777

Biblioteca Salita dei Frati, Lugano

Shelf Mark: BSF 4 Ia 3

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-12430>

Actio XIV.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ACTIO VII

ARGUMENTUM

Actio est de Ambrosii bonorum tabula, cuius repositum Phosphorus
Academici passus fuerat, Actio tota nuntiatio fuit con-
stat, quam Praefector habet, & Oratio, quae comparatio-
nem habet veterum, & nostrorum statum.

VII. ACTIO VII. A

Cincius Praefector, Et Phosphorus, Maiores Magister
addunt tantummodo in alioribus libellis.

A R G U M E N T U M .

Actio est de Ambitu honorariæ tabulæ , cujus repulsam Phanebon Academicus passus fuerat . Actio tota narratione facti constat , quam Prælector habet , & Oratione , quæ comparationem habet veterum , & nostrarum ætatum .

ACTORES SUNT .

Cincius Prælector . Et Phanebon . Majores Magistratus adfident tantummodo in altioribus subselliis .

ACTIO XIV.

CINCIUS.

Causa, Auditores, agitur Palæstra, Academiaque hac digna, digna adolescentibus litterarum studio, ardoreque incensis. Superioribus diebus primi renunciati Magistratus fuerant, iusque honorariæ Tabulæ, quasi jus imaginis (1) illis tributum. Cum eorum in numero non esset ille, quem pro rostris videtis, alacris ingenii adolescens (Phanebonri est nomen), supplices ad Academiæ Moderatorem, & Magistrum litteras dedit, quibus postulabat, ut illi tabulæ honos concederetur. Litteræ autem in hæc verba erant conscriptæ.

MODERATOR OPTIME.

Pro tua benevolentia (si meum tibi semper officium, si diligentia placuit) Te ego oro, atque obtestor, ut honoraria me dones tabula, ne posteris nostri nesciant, me etiam aliqua cum laude in hac Academia fuisse. Id si facies, rem dignam tua humanitate, mihi que gratissimam facies.

Ad ea ita Moderator Academiæ respondit.

Tibi quoniam legitimos magistratus non adepti jure non potest

(3) Qui majores Magistratus in Academia gerebant, iis, si voluissent, licebat honorariam Tabulam symbolicam (Impresa) cum nomine suo relinquere, quod testata eorum esset virtus in annos consequentes.

test, quod postulas, tribui; gratis sine invidia non licet; tu Principes, Assessoresque consulto: illis si videbitur, nobis videbitur.

Itaque ab Phanebonte ad Principum, Assessorumque Collegium Litteræ supplices datæ sunt in hunc modum.

PRINCIPES, ASSESSORESQUE.

Cum magnopere cuperem jus habere imaginis, nomenque meum posteritati commendare; atque ea de re Moderatorem nostrum rogassem, ita responsum est, uti mihi liceret, si vobis videretur. Quam ob rem vos ego sapientissimi Principes, clarissimi Assessores obsecro, atque obtestor, ut favorem, & gratiam ad me exornandum conferatis. Si diligentiam, si in omnibus rebus studium præstiti; si observantiæ erga vos nunquam defui, vos facite, ut longe plurimum vobis debeam.

His acceptis litteris Principes, Assessoresque subscripsere in hanc quisque sententiam.

Fannius Princeps in Oratoria facultate: Videtur

Publius Assessor: Videtur.

Publius Assessor: Videtur,

Tatius Assessor: Videtur.

Ruillius Assessor: Probet virtutem suam.

Moderator lectis sententiis, & unius Assessoris clarissimi, qui probari virtutem jubebat, sententia admonitus cum existimaret nihil statuendum, nisi æque omnes consentirent, iterum Principes, & Assessores interrogavit, quid eis videretur; atque illi Ruillii judicio moti in ejus sententiam descenderunt. Igitur decretum, ut Phanebon virtutem suam probaret; eique ad orationem conficiendam propositum est argumenti loco, ut quæ-

De Veterum Nostrarumque Aetatum comparatione
ORATIO.

Kkk 2

se ipsa prodidit, qualisque esset, voluit ab omnibus intelligi, cum in illam plenam injuriæ, plenam acerbitatis sententiam erupit: *Probet virtutem suam*. Quo quidem tempore, Principes, Assessoresque, præclara vestra de me, & pulcherrima testificatio exiit, qui argumentum ad dicendum difficile, asperum, suspiciosum, magnitudine ipsa, & varietate rerum impeditissimum decrevistis, ut adversarius hic meus intelligeret, quæ vestra de mea virtute opinio esset, solemnique certamine Ruilliana importunitas victa, ac profligata discederet. Quo ille animo Orationem meam sit accepturus nescio, nec laboro, modo vos secunda voluntate dicentem prosequamini.

Ac de veterum cum nostris ætatibus comparatione differere aggredienti ita mihi videtur, eas maxime præstare, quæ industria, animo, ingenio præstiterint. Industria enim pacificæ artes valent, quibus deinde copia rerum, & opibus provinciæ redundant; animo militaris virtus efflorescit, qua regnorum fines defenduntur, & amplificantur; ingenio denique nobilissimarum artium, & doctrinarum omnium ornamenta comparantur, quæ celebritatem imperiis afferunt, commendationemque ad memoriam posterorum. Non quæro Ruilius ne meus rationem, partitionemque Orationis meæ sit probaturus; illum jam relinquo, neque a me in Oratione tota verbum expectet; vos ego consulo Auditores; vos mea spectat oratio, & judicium vestrum exquirat, an non quæ his maxime rebus florent, floruerintque ætates, illæ, præ aliis aliæ, dici debeant excellere? Ita quidem profecto. Jam vero quid est, cur nonnulli Persas, Ægyptios, aut ut horum memoriam relinquamus fabulis, supraquam dici possit, obvolutam, & contaminatam, & de Græcis, & Romanis dicamus, de quibus tam multa quotidie audimus, ac legimus; quid est inquam cur hos usque adeo nobis obtundant, eorumque nominis magnitudinem verissimis nostris laudibus opponant? An quod industria ita artes plerasque perfecissent,

sent, & amplificassent, ut propterea divitiarum copia, & opulentia provinciæ circumfluere? Sed vestram fidem, Auditores, nisi plus multo ætates nostræ hoc genere inclaruerunt. Nam quædemum artes ab illis fuere excultæ, quas non aut revocaverimus, aut retinuerimus, si ad commodum, utilitatemque pertinerent? Verius dixerim plerasque nostrorum hominum industria fuisse perfectas, plures etiam, quibus illi carebant, fuisse inventas. At ubi, inquit, oïes nostrarum ætatum, ubi Italia illa florescens, Orbis terrarum dominatrix, & Magistra? Ubi illæ omnium artium, ac rerum nundinæ Græciæ? Recte quidem verborum adhibetur magnificentia, quando argumento res desunt. Quid vero, quisquis hæc prædicat, quid Italiam tantummodo, & Græciam nominas? Cur nationes alias tam multas dissimulas? Cur non etiam Gallias, Hispanias, Angliam, latamque Germaniam memoras? Sentis profecto quantum, si Romam, & Græciam pleramque excipias, barbaria tum nationes cæteræ laborarent. At quando provocasti, volo mihi jam respondeas, quid tui illi veteres negotiatione, quid navigatione profecerint, quibus præcipue artibus remotissimæ inter se se regiones conjunguntur, commutationeque mercium locupletantur. Ecquid repones? Negabis? Haud equidem si sapias. Jam ne vides, jam ne sentis turæ esse causæ conclamatum? Oppones ne nobis Gades? Columnas ne illas Herculis memorabis poetarum somniis illustres, quas veteres si attigissent, sibi terrarum orbis terminos attigisse videntur? At ubi illis erat terrarum finis, inde jam nos cæpimus navigandi initium, prætervectique oceanum ad novum nobis orbem viam patefecimus, ut Indiarum divitiæ ad nos usque adnavigarent, incredibilique auri, argenti, gemmarum, & mercis omnigenæ numero omnes oræ redundarent. Non justa jam mihi esset occasio adversarios increpandi, nisi modestiæ esset meæ ratio magis habenda, quam quid eorum mereatur arrogantia spectandum, qui ætates nostras contemnunt, & industria

stria a veteribus victas levissime jactitant?

At animo, bellicisque studiis superarunt, quæ est altera orationis pars. Sed qui ita putant, meo judicio vehementer errant; quos quidem libenter interrogem, statuunt ne, quæ apud nos est, eandem apud veteres bellandi rationem valuisse? Fortissimi mehercule viri illi, qui magnis protecti clypeis, thorace, galea, ære clausi, catapactique in hostes vadebant, ut gladiatorum aciem, telaque immissa singulari, divinaque virtute exciperent! Horum enim vero animus prædicetur? Hi viri, hi heroes nominentur? Hi nostris anteferantur si superis placet. Quos ego ne cum gregariis quidem horum temporum comparaverim, qui incredibili animo, apertoque pectore non in gladios solum irruunt, sed in ferrearum glandium nimbos se se immittunt, per ignitas, incensasque bolides, & flammarum nubes medii irrumpunt; ænea contra tormenta, mortes, ruinasque inferentia, vadunt intrepidi fumo, ignique circumfusi, quin percellantur, aut restitent. An vero quoniam tormenta hic memoravimus, in mentem adversariis veniet machinarum veterum? Illa ne nobis nominum portenta obtrudent, testudines videlicet, arrietes, musculos, turres, sambucas, balistas, catapultas, terlenones? Apage cum hisce terriculis, quæ omnia uno tormenti majoris istu disjiciantur. Non hujus est loci, neque mei muneris disputare, melius ne illi castra facerent, militiam instituerent, aciem disponerent. Illud ego dicam, cum hac Græci, & Romani parte plurimum excellerent, haberi magistros posse; sed & superioribus, quæ nos propius contingunt, ætatibus, & hac nostra plurimos extitisse clarissimos duces, qui imperatoriis quibusque virtutibus ad veterum imitationem, æmulationemque clarescerent; multoque illis præstarent, qua parte ars militaris urbium, & arcium munitionem, propugnationem, oppugnationemque amplectitur; atque hac in re per me dictum sit satis. Ingenuis enim studiis, iisque artibus deditum, quæ ab inge-

ingenio profectæ sunt, rapit ad se se postrema orationis pars. Quo loco nolite, Auditores, expectare, ut de Pictura, Sculptura, Architectura dicam, quæ huc videntur pertinere. Titiani quidem nostri, Raphaelles, Bramantes, Bonarotæ tantum effecerunt, ut non admodum a nobis veteres sint expetendi. De Philosophia vero, de Astrologia, de Mathematicis, de severiori omni doctrina hi magis respondeant, quorum aspectu, & humanitate tantum hodie Academiæ nostræ splendoris accedit. De eloquentia potius nobis esto certamen. Proferant igitur ex omni antiquitate, si quem habent (ne illos quidem excipio Demosthenes, & Tullios, in quibus, quid posset, eloquentia videtur experta) proferant, inquam, unum parem pari in causa Leoni illi magno, Pontifici maximo, qui fortissimum Regem Attillam, victoriis & rapinis Italiam omnem depopulantem, ubique iam jam imminentem ea flexit sermonis gravitate, copiaque dicendi, ut Regem armis invictum oratione vicerit, retroque recedendi, ut Regem armis invictum oratione vicerit, retroque recedendi coegerit. Huic æquales possumus Ambrosios, & Chrysostomos asserre, quibus idem fuit cum summis Principibus certamen: possumus in omni eloquentiæ genere magnos Oratores asserre; in forensi Baduarios, in sacra, quæ antiquis prorsus erat ignota, Segneros, aliosque sexcentos; in populari Panigarolas, atque Augerios; quoniam alter Parisienses inopia rerum omnium, & fame perdomitos, tamen pertinaces in Urbis propagatione, quamdiu libuit, perorando sustinuit; alter autem, Augerius scilicet, ab hominibus hæresis furore contaminatis interceptus, & ad extremum supplicium pertractus, cum id modo obtinuisset, ut, anteaquam se interficerent, brevi oratione aliquid proloqui posset ad multitudinem, quæ undique confluxerat ad fruendum spectaculum in hominis morte Calvinianæ sectæ inimicissimi, non solum iratos, incensosque in se se unum animos omnium flexit, & mitigavit, sed magnum eorum numerum ad sanam mentem revocavit, & Romanæ Religionis restituit. At enim veteres dicendi ratione vicerunt? Qua tandem, nisi commendationi detur, quod latinis litteris mul-

multa eleganter tradiderint? Quasi vero ex nostris minus multi extiterint, qui sive oratorio, sive poetico dicendi genere multa explicarunt italicis litteris; quo nos sermone, quemadmodum latino Romani utebantur; quare etiam non solum nos omnia, quæ illi reliquerunt, sed multo etiam plura in unoquoque genere doctrinarum, venuste, eleganter, subtiliterque habemus explicata. Quanquam latina ipsa lingua, quæ multo difficilior nobis est habenda, quam Romanis Græca, hæc enim tum florebat, latina nos prope intermortua utimur; tamen cum apud nostros laudi tributum est, si quis eleganter diceret, quam multi fuerunt, qui id genus amplexi in æmulationem aureæ illius ætatis floruerunt? Desinant igitur isti priscarum ætatum laudatores præposterari, obrectatoresque nostrarum nos exagitare, pleniusque de veterum laudibus prædicare. Melius sibi, melius causæ suæ consulent, si modeste, si moderate se gerent. Neque enim ego is sum, qui veteres minoris faciam, non ita mihi sim inimicus; immo multis in omni laudum genere ornamentis eos floruisse confirmo: etiam hoc concedam pluribus nos in rebus illis usos fuisse veluti magistris. Hac una in re manus dabo, modo & ipsi fateantur in multis nostros ad æmulationem veterum valuisse, in nonnullis etiam esse anteferendos. Principes, Assessoresque voluntati vestræ parui; jure autem secus repulsum ab Ruillio passus sim, vestræ sit humanitatis existimare. Dixi

(Prælector) Huic Phanebontis orationi Ruillius pauculis verbis graviter sic respondit, ut sibimet gratularetur levi honoris sui impendio, quem asperius Phanebon vulnerasset, magnum illi compendium factum, & peroravit, uti merito, quo qui optimo, honoraria tabula donaretur. Hunc habuit exitum litterati ambitus certamen Auditores. Quare Nemo vos teneat; & vobis nos quidem maximas gratias & agimus, & habebimus.